Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

regulariter debent seruire. Quis enim tali sapientia preditus est qui enumerare queat quanta et qualia mirabilia deus in sanctis suis in loco illo mira atque miranda peregit. Quia qui ab eodem loco tanta monstra diabolici figmenti subito euanescere fecit. postea inde multa milia animarum sanctarum per multa curricula annorum in amenissimos hortos celestis scilicet ierusalem usque ad diem ultimum non desinit aduocare. ut numero eorum nominum aliud non possit coequari. nisi stelle celi aut bibule harene que iacent in littore maris. Iste locus enim de quo in prioribus assertionibus aliquid narrando perstrinximus. primus est eorum in quibus uir sanctus Pirminius agonem suum post exitum proprium deo et hominibus deuotissime monstrare cepit. Postea uero cum dei timore et studio bono decenter ordinauit monasteria. Quia initium sapientie timor domini et in studiis suis cognoscitur uir paulo dicente. Bonum certamen certaui. cursum consummaui. ideoque reposita est mihi corona iusticie. Quorum tamen cenobiorum nomina aliquanta nobis cognita quedam non sunt in tribus tamen regnis francia scilicet bawaria atque alemannia liquido nouimus ea constituta. Quomodo enim in media etate uixerit in illis. quantos labores tunc pertulerit paucis hominibus compertum habetur ob illorum culpam qui nobis de predictis locis illud intimare debuerunt. Sunt tamen aliqui qui ut nobis sciendum est ex quibusdam prefatis locis de illius studiis multa scientes. qui uero nobis longe positi sunt. et ad illos uenire non possumus. Et illi quidem que exinde sciunt nobis intimare negligunt. Aliqui uero nec ipsorum locorum primordio scientes in quibus uiuunt. et a quibus initium post deum susceperunt omnino sunt ignari. Quia ubi habundat terrena cura. refrigescat necesse est caritas diuina. Nomina uero predictorum monasteriorum que nouimus hec sunt. Altaham. Scuttura. Gengenbach. Suarzaha. Muurbach. Moresmunistur. Niuuinulare. Aliorum uero uocabula certe non scimus. In his tamen predictis uir domini immorauit in continuum certamine. ut credendum sit secundum qualitatem uniuscuiusque loci. Nec illud silendum est. sed ualde propalandum. quod quidam uir nobilis nomine Wernharius alta prosapia francorum ortus. audito rumore sancti uiri quam frequens propter amorem diuinum in astruendis sanctorum locis quam deuotus in edificationibus domorum dei. quam sollers in congregandis cateruis ad seruicium dei. quamque gnarus regulam sancti benedicti obseruare nolentes in omnibus parare. mittens post eum honorabiliter ad se accersire precepit. Iste quoque uenire non renuit. Tunc amabiliter cum omni dilectione et leticia superius dictus patronus uirum uenerabilem Pirminium suscipiens cuncta illius comoda. omniaque seruicia secundum uoluntatem propriam fieri precepit. Post aliquantos uero dies. illi indicauit ob quam causam eum inuitauit. Multa loca propria in circuitu iacentia monstrare ei cepit. quia prepotens erat. atque spopondit ut ubicumque eligeret. ibi proprium ei daret locum ad dei seruicium perpetualiter agendum. Christi uero seruus Pirminius iam sibi cernens tempus imminere quo sarcinam huius laboris abiecta agonum suorum premia reciperet in celis. ibi ingressurus inuestigare cepit aptum locum in seculum ad manendum. Inuento uero locando